

ADNOTATIONES AD SVPPLICES.

In Supplicibus usus sum scripturis codicum Medicei (M), Guelferbytani (G), Parisini (P), Escorialensis (E). Codex Mediceus, ut multis indicis cognoscitur, descriptus est ex libro litteris quadratis scripto, quod non obliviscendum est recte eo uti volentibus. Ex Mediceo descriptus est Guelferbytanus, quem ipse contuli. Parisinus, a Wellauero littera L notatus, quem et Antonius Askewius et Godofredus Faehsius contulerunt, fontem habuit illum antiquum librum, ex quo descriptus est Mediceus. De his libris sicuti de editionibus antiquis diligens est disputatio Guilielmi Marckscheffelii in Welckeri et Ritschelii Museo philologico vol. V. Escorialensis codicis collationem accepi a Friderico Dietzio, quem videntur quaedam fugisse. Est ille sine dubio ex Parisino descriptus. In editione Aldina Franciscus Asulanus quattuor tragedias, quae vulgo postremae sunt, ex codice Guelferbytano descriptsit, idque non modo perpetua conspiratio cum illo codice, sed vel maxime confirmat ingens numerus scripturarum, in quibus Asulanus codicis legendi imperitia ab exemplo suo aberravit, veluti quum $\mu\epsilon\nu\sigma$ participiorum eo compendio scriptum est, quod illi $\mu\iota\sigma$ esse videbatur. Adrianus Turnebus solam habuit Aldinam quam sequeretur. Eius ille alia vitia recte correxit, alia autem permulta incredibili temeritate atque inscitia suo iudicio mutavit. Franciscus Robortellus nisi ipsum codicem Mediceum, certe alium illi simillimum expressit. Quem ille in praefatione brevem indicem mutatae vel ab se vel a Michaele Sophiano scripturae adiecit, augeri potuit aliquot locis. Quae-dam certe, sed raro, ipse de suo posuerit necesse est. In Victoriana editione vitia Aldinae plerumque ex Robortelli editione emendata sunt. Victoriana fere secutus est Guilielmus Canterus, qui primus antistrophica quantum poterat distinxit. Canteri textus repetitus est in editione Stan-leiana, isque deinceps vulgatus textus habebatur. Eum magis magisque perturbarunt critici pro sua quisque vel scientia vel ingenio vel libidine. Quorum eos conatus, qui vel falsi vel vani vel inepti vel insanii sunt, oblivioni relinquendos duxi. Pariter ubi de codicu scriptura constat

1*